



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

11. An. DCCLXXXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

Lippiensis silva definit, campi *Ossenkempe*, velut *Osninkempe* hodièque vocantur.

II. An. DCCLXXXIII. Annales Francici apud Pithæum. Astronomus apud Reub. Regino in Chron. Poëta Anonym. lib. I.

FONTES LUPPIAE.

Multi fluvij diœcesin Paderbornensem irrigant, nec pauci ex his in eâdem nascuntur. Præcipui & plerique in historiâ tum Romanâ, tum Francicâ & Saxonicâ nominati. Alma Aliso olim, Ambra, Amifius, Bevera, Dalca, Effata, Hedera, Luppia, Luttera, Padera, Neta & Visurgis.

I. LUPPIA. Ità apud Tacitum, & rectiùs seu magis genuinè; quia in Germanico vocabulo litera p. geminatur: apud Melam *Lupia*; Dionem & Strabonem *Λυπίας*; in Annalibus Francicis *Lippa* & *Lippia* scriptum legitur. Hanc posteriorem dialectum vulgatus scribendi loquendique usus retinuit. In Velleji exemplaribus, in quibus *ad caput Iuliae fluminis* legitur, vel mendum in *Iulia* pro *Lupia*, vel quasi in honorem *C. Iulij Octaviani flumen sic noviter appellatum*. Lips. in Vell. n. 194. Bœclerus in eund. Cluverius lib. 3. Germ. Antiq. c. 49. Verùm uti breve Augusti ad *Luppian* imperiũ fuit mox Rheno terminatum, ità quoque memoria nominis in illo flumine non diu perduravit. Nimis levis & falsa Vadiani doctissimi cæteroqui viri, qui *Luppian* fluvium esse putat, quem hodie *Neccarum* vocant, & Irenici ac Spidelij in not. in Bartolinum l. 12. Austr. *Lanum* esse suspicantium conjectura, ita ut refutatione non indigeat. Diversus enim ab utroque fluvius à capite usque